

B. Angiospermae.

Class. I. MONOCOTYLEDONEAE.

Fam. NAJADEAE.

106. *Zanichellia macrostemon* GAY. Etiam in prov. Gadit. (in aquis stagnantibus pr. S. Roque, NILSSON).

107. *Zanichellia dentata* W. forma genuina. In Aragonia australi (pr. Chiprana ad La Laguneta, LOSC.!), Catal. (in aquis lente fluentibus c. Prats de Llusanès, Olot, en el Ampurdán, VAYR.) et prov. Gadit. (pr. Grazaleta in paludibus, REVERCH.!).

Fam. ZOSTERACEAE.

109. *Ruppia maritima* L. Provenit quoque in prov. Gadit. (in aquis stagnantibus pr. Algeciras et S. Roque, NILSSON).

109^{bis}. *Ruppia aragonensis* LOSC. PARDO Ser. inconf. p. 105, 134. Caulibus longissimis filiformibus, ramosissimis, cum spathis pedunculisque subcarneis; foliis anguste filiformibus, elongatis; pedunculis corymbosis, initio brevibus erectis, demum longissimis, spiraliter multoties tortis; achaeniis subcompressis, cum rostro 2 mm longis et 1 mm latis, ovatis seminularibus rotundatisve, basi gibbis, aterimis, nitidis, glandulis s. papillis minutissimis stipitatis rufescentibus obsitis v. demum glaberrimis, bivalvibus; valvis valde inaequalibus, altera perparva elliptica angusta, fructus basin non attingente, in apicem minutum desinente, altera multo majore tumente, in rostrum tenue obliquum quintam ad tertiam achaenii partem aequans desinente.

In Aragonia inferiore (hucusque non nisi in lacuna salsa Las Saladas de Chiprana, ubi in aqua profunda crescit, LOSC.!). — Aestate (v. s.).

Observ. Hujus plantae memorabilis in fundo lacunae profundae crescentis ideoque semper submersae achaenia a beat. Loscos anno 1860 (?) in ventriculo anatum inventa sunt, quae iis exeunte aestate, quo tempore acervos grandes in fundo lacunae formare debent, avare vescuuntur. Quae achaenia in utroque latere sub apice macula parva alba notata stipiti (podogyne) setaeformi v. capillari 2 cm l. albo insidunt. Species inter *R. rostellatam* KOCH et *R. maritima* L. collocanda. Ab ambis stirps aragonensis achaeniorum structura eximie differt.

111. *Cymodocea aequorea* KOEN. Crescit quoque ad littora atlantica pr. Gades (PER. LARA).

112^{bis}. *Zostera nana* ROTH Enum. I, p. 8; GREN. GODR. Fl. de Fr. III, p. 325! RCHB. Ic. fl. Germ. Helv. VII, f. 5! Rhizomate gracili repente, caule ramisque brevibus, foliis anguste linearibus, vix 15 cm long. et 2 mm lat., uninnerviis, apice truncatis v. emarginatis; spatha lineari ad ortum spadice subito inflata, spadice anguste lineari acuminato; floribus 6—12 biseriatis, semine oblongo, laevi.

Ad oram provinciae Gaditanae rara (pr. Chipiona, PER. LARA, 1889). —

4. Jun., Jul. (n. v.).

Hab. ad littora Europae mediterranea, oceanica et baltica.

Fam. POTAMOGETONEAE.

114. *Potamogeton polygonifolius* POURR. var. *elongatus* LGE. in litt. ad HERVIER. (Cf. HERVIER, Flore de la Loire, I, p. 49!) Differt a specie caulibus petiolis pedunculis longissimis, foliis elliptico-lanceolatis.

In Aragon. australi (en el arroyo de Nogueiro ad alt. 1300 m, ZAPAT. 1879; forma gracilis microphylla et microstachya).

Hab. etiam in Gallia.